



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt VIII. Consilium à Legatis susceptum, vt emendationis capita minuerentur. Quaedam adiecta, petente Lunensi, de primis instantijs, ad inducendam Mediolanum sacram Inquisitionem agitata. Turbae ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-11718

1563. tificis res tractarent, Hispano Regi expediret, qui tam magnam in ijs partem obtinebat. Diploma commendatum, ceteroqui tamquam perfectum, in eo solum vitiosum fuisse agnitum; idque quoniam Pontifex de utroque Rege rationem habuerat. Quod si placeret Lunensi, ut in Concilio aliquid adderetur diplomati, quod hoc vitium ab eo tolleret, Pontifici haud molestè id futurum: sed eodem tempore Auila, percepto rei pondere, mentem Lunensis illuminauit. Quare ille responso Præsidum acquieuit, sibi que satisfactum affirmavit, cum eo Pontificis emolumento, ut repulsa loco gratiæ habita fuerit.

Si Satyricus ille impiè dixit, Deos interdum ex audiendo malignos esse; verè licet affirmare, Deum & homines beneficos esse negando.

C A P V T V I I I.

Consilium à Legatis susceptum, ut emendationis capita minuerentur. Quedam adiecta, petentè Lunensi, de primis instantijs, ad inducendam Mediolanum sacram Inquisitionem agitata. Turbæ hinc ortæ, sed sedatæ. Falsæ ratiocinationes Suanis de Decreto clandestinorum coniugiorum. Variæ Patrum sententiæ de Matrimonio.

A Nimadyertebant Legati, si Cæsaris mandata præstolarentur, incertum lentumque negotium diutius protractum iri. Quare quò præstituto die Sessionem celebrarent, duo excogitarunt; alterum, ut solum illum articulum ad futuram Sessionem transferrent; alterum, ut simul cum eo alios quoque transferrent. Per illud, tametsi Lotharingi consilio comprobatum, videbantur nimis apertè obsecundare, & quasi obtemperare voluntati Cæsaris. Præterquam quòd Episcopi, illius articuli avidissimi, fuissent veriti, ne, ut sæpe vsuuenit, dilatio in obliuionem voluntariam degeneraret. Idcirco alterum consilium & gratius & magis honorificum, & etiam facilius habitum est, quandoquidem argumentum destinatum crassior materia censebatur, quàm ut tota simul moleteretur. Statuerunt itaque Decreta solum ad viginti redigere, Patribus polliciti, Decretum de Principibus agitatum iri simul cum alijs grauissimis, quæ supererant.

Necesse autem erat, ut Episcopis hoc promisso animi releuarentur: ex eo enim quòd recenter acciderat, hi non mediocriter animis conciderant. Philippus Rex optauerat Mediolanensem ditionem

nem tutam reddere à propinqua Germaniæ & Heluetiæ hæresi, 1563. quæ plus minusue Vicentiam & Sabaudi oppida penetrauerat, cumque in Hispania experimento comprobaretur, tutissimum propugnaculum esse seueritatem Sanctæ Inquisitionis, habuit in animo eam secundum eandem formam Mediolani instituire. Pontifex, cuius opem ille implorauerat, animaduerso graui periculo non Insubriæ modò, sed hinc vniuersæ Italiæ, quæ Christianæ Reipublicæ cor est, impendente, consenserat^a; simulq̃ne assensus est, vt Gaspari Ceruantes Hispano, Archiepiscopo Messanensi, qui erat in Concilio, liceret inde discedere, id quod proponebatur executuro. Hi nuntij errorem populis incusserunt, & mœstitiam illius ditionis Episcopis: alteris ob intolerabilem, vt ipsi arbitrabantur, seueritatem illius in Hispania Tribunalis; alteris, ob diminutionem, quam inde præuidebant, suæ iurisdictionis. Nec minori, quàm Insubriæ Episcopi, affecti sunt tristitiâ regni Neapolitani Præsules, idem suis regionibus formidantes, præsertim cum adhuc vigeret illius memoria quod à Carolo V. in eo regno tentatum fuerat. Et quamquam postea mitigaretur acrimonia, quod Inquisitores futuros Italos affirmaretur; adhuc tamen non effluerat acerbitas, dum animaduertebatur, eos Hispanicæ Inquisitioni fore subiectos. Quamobrem Legati apertè significarunt Pontifici communes querimonias, quibuscum exanimatio vniuersalis coniungebatur, aientibus Episcopis, Se non aufuros vocem promere in Synodo aduersum Principes laicos, cum ij viderentur cuncta Romæ impetrare: sed interim suo se incommodo intelligere, quantum illi cladem ipsorum molirentur, dum nitebantur plurimas auctoritatis vlnas subtrahere Pontifici, quò suam quisque vel vnico digito ampliaret: perinde ac si ciues vellent planè arcem diruere, quò illius saxa ad priuatas ipsorum domos extruendas distribuere.

3 Monuerunt itaque Legati Pontificem, etiamsi ditionis illius salus huiusmodi arma deposceret, par esse vt Inquisitores constituerentur miti Romano Tribunali subiecti, non terribili Hispaniensi. Interim Mediolanenses, præter operam apud Regem ac Pontificem nauatam, Sfortiam Briuium Tridentum miserunt, vt litteras à duobus Legatis Mediolanensibus impetraret, patriæ opitulaturas: & adfuit quoque Legatus quidam à Cremonensibus, opem imploraturus à cunctis Episcopis Insubriæ, qui communem epistolam iam destinarant ad Pontificem: nec eo contenti, egerunt ac penè conuenerunt cum reliquis Patribus, vt in Decretis disciplinæ voces apponerentur, quæ auctoritatem Episcoporum exime-

^a Cuncta constant ex varijs litteris Borrom. ad cunctos Legatos, & ad Moronum & Sinuati 7. 17. 25. & 28. Augusti & 1. & 4. Septembris; & Legatorum ad Borrom. 17. & 23. Augusti; & Vicecomitis 17. & 23. Augusti; & duabus mensibus Septembris ab eo scriptis.

æ
Trid.
I

1563. ret à nimis absoluta Inquisitorum auctoritate. Sed hæ voces postea à Morono deletæ sunt, vt qui præsenferat duos obices Hispani Oratoris, & cùm amplius his opus non esset, comperto plus timoris quàm periculi fuisse. Etenim Pontifex vbi primas excepit Tridento querelas, mutato consilio, & iteratis per Borromæum responsis clarioribus semper & amplioribus, significauit, Sibi non licere Inquisitionem in vniuersum denegare, vtpote quam omnes, & ipsi Mediolanenses Præsules tamquam salutarem ac sanctam fatebantur; sed certi essent Legati, & ipsius nomine certi essent Patres, Inquisitionem haud inductum iri in eam ditionem, nisi ex iure communi, absque Ordinariorum detrimento, & subiectam Romanæ, non Hispanicæ Inquisitioni; neque id à se peractum iri, nisi tardà maturitate, & auditis antea Legitorum consilijs de conditionibus: quod Mediolanensibus & Episcopis generatim solatio fuit.

Causa igitur seu vera, seu vnica, ob quam ea perturbatio resedit, non ea fuit, quòd Hispani destiterint ab incepto, edocti improspere Belgij exemplo, sicuti Suauis narrat; quamquam verum esset, propositum à Pontifice fuisse periculum, & à Suessano Duce, se apud Regem deprecatores pollicito Mediolanensibus, destinatas ab ipsis legationes in Hispaniam & Romam fuisse detentas; sed magis destitit, quòd Pontifex tum Mediolanenses tum Patres certos reddidit, se omnino dissensurum, quippe qui fati intelligeret, quantum inde perturbationis inferretur patriæ suæ, & quam facile ad exemplum huiusmodi reliqui principes ansam arriperent ad idem postulandum, Romani Pontificis & Episcoporum auctoritate diminutâ. Quare, antequam Româ noua Suessani sensa accipi potuissent; quin etiam susceptis litteris, in quibus pro certo ponebatur, Oratores Mediolanensium ad Pontificem, hoc ipsum curaturos, iam se in viam dedisse, consilium apud se statutum Legatis aperuerat, addens, Oratores à se benignè habitum iri, & postulata impetraturos pro sua in patriam charitate: qua in re suam quoque strenuam operam pollicebatur Borromæus, dicens, Ad id se permoueri simul ab affectu naturæ, simul à conscientie stimulo, quorum coniunctio vim summam obtinet, quippe quæ non partem hominis, sed hominem integram ad opus compellit.

Iam verò dum adhuc in Episcopis ea perturbatio inerat, articuli de disciplina solùm ad viginti redacti sunt, sicuti diximus, festinationis studio, & in quibusdam seiunctis cœtibus expensis, quò eodem simul tempore à compluribus ponderarentur, ac limarentur, antequam

¶ In epistola
citata 27.
Augusti,
1563.

¶ Acta Pa-
lotti.

quam ad vniuersalem Conuentum venirent. Vnus ex his cœtibus habebatur coram Lotharingo, vbi aderant præter Gallos multi Hispanorum ac Lusitanorum Præfulum; alij congregabantur in domibus duorum Præfulum Italicorum, qui animi fortunæque dotibus, ac generis nobilitate prælucebant, ne reliqui peculiari hoc honore illis exhibito offenderentur: hi erant Marcus Antonius Columna Archiepiscopus Tarantinus, & Alexander Sfortia, Clericus Apostolicæ Cameræ, & Antistes Parmensis: est qui pariter connumeret Episcopum Hydruntinum; sed is, qui scripsit accuratus de rebus illius ætatis, me certiozem reddit, id tunc non accidisse. Et quidem verisimile est, noluisse Hydruntinum citra necessitatem in se irritare Oratorem Hispanum, cui quanto essent odio ac suspitioni hi peculiare cœtus, in comperto erat. Post habitam in domibus trutinam argumentorum, iterum causâ recusâque sunt Canones ac Decreta, & ad Patres delata nonis Septembris, vt in generali consensu sententiæ proferrentur. Modeste conquestus est Lunensis, quod hi articuli ita reconcinnati Patribus traditi fuerant, secum antea minimè communicati, nec se interrogato, an quidquam pro suo Rege proponendum haberet. Sed Legati hominem sedarunt, allatâ excusatione, quæ sicuti frequenter est omnium quæ adducuntur verissima, ita plerumque acceptissima foret, nisi humana superbia illam adducere dedignaretur; ea verò fuit culpæ confessio, à curarum laborumque congerie profecta, à qua non sine doloris sensu dixerunt interdum se trahi extra se, sibi que optabile reddi, vt in quouis mundi angulo infelicissimo potius quam ibi collocarentur. Ita se habet illorum graduum felicitas, ad quos longâ ac laboriosâ viâ per sudorem plurimum aspirant, quasi ad terrestre cælum, communia mortalium vota.

Ab ipsis deinde Lunensis petijt, vt articulum adderent, sibi regis in mandatis acerrimè commendatum; nimirum, vt in omnibus causis, primæ instantiæ relinquerentur Ordinario, quicumque is esset, aut Præful inferior, aut Episcopus, aut Archiepiscopus, aut cuiusvis conditionis. Quoniam autem Legati negabant tunc illum proponere, ostensâ amplitudine reliquarum rerum, per summum laborem digestarum, quæ ijs temporis angustijs coarctari vix poterant, eos iterum rogauit vt omitterent potius quodcumque ex alijs capitibus magis arduis, eo retento, quod ferè absque repugnantia exciperetur; aliter, aiebat, visum Regi fuisset sua postulata nihil pendere, prætermisso articulo tam æquo, & tam supra ceteros à Rege postulato. Quapropter Legati, intelligentes id non fieri

1563.

d d Scriptura
Vicecomitis
ad Borrom.
26. Augusti
1563.
o Acta Pa-
leotti.

f Diarium,
& Acta Pa-
leotti.
g Litteræ
Legatorum
ad Borrom.
5. Septembris
1563.

Trid.

1563. ex arte ad moram protrahendam, quin potius si assentirentur, festinationi se consulere, illi gratificati sunt, adiecto capite vigesimo primo.

h Diarium
7. Septem-
bris, & Acta
Palcotti præ-
ter Acta Arc-
cis Eliz.

Hoc rerum apparatu^h generalis cœtus die 7. Septembris habitus 7 est; quo die admissus etiam est Orator Melitensis, in postremo loco post Oratores Ecclesiasticos Principum laicorum, nimirum, post Episcopum Cortonensem; perlectumque est diploma Pontificium, quo iura Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum illa servabantur. Postea sententiæ dici cœptæ sunt de articulis Matrimonij, tertio iam relictis; in quibus dicta quædam referam notata digniora.

Canone tertio damnabatur, qui affirmaret, Ecclesiæ fas non esse 8 plura aut pauciora præscribere impedimenta, quam quæ in Levitico continentur. Vox, *pauciora*, reiecta fuit à Lotharingo, non probante ut Fidei dogma ea de re constitueretur. Iterum actum est de mutatione à Venetis petita, varijs sententijs, sed plerique eam comprobantⁱ.

i Diarium
23. Augusti
1563.

Præcipuæ disputationis argumentum erat matrimonium clan- 9 destinum: & quò facilius de eo decerneretur, alia formula proposita est^k, in qua per hæc verba detractio ipsius efficacitæ mitigabatur: *nisi tamen Episcopus opportunum censeret, matrimonium publice contractum coram Ecclesia cum aliquo impedimento quod sine scandalo detegi non posset, iterandum postea, eodem impedimento sublato, sine testibus. Declarat præterea Sacrosancta Synodus, matrimonium ac sponsalia contracta coram tribus testibus, probari posse per duos illorum, aut per aliam legitimam probationem.*

k Acta Arcis
Eliz. 7. Sep-
tembris
1563.

De filijs familias respositum est Decretum, certam ætatem, sicut 10 in priori forma, exigens, nimirum in maribus annum decimum octavum, decimum sextum in feminis; adiectumque est, opus esse consensu patris, aut aui paterni catholici: sed adhuc temperabatur hæc necessitas, ubi illi aut rogati dissentirent iniuste, aut diutius abessent, & contractus celebraretur cum Ordinarij facultate. Denique præcipiebatur, ut ea Decreta singulos obstringerent post diem à prima promulgatione trigessimum; quod inter cetera commoda vnum quoddam afferebat, tunc ab omnibus haud observatum, quia videlicet evitabatur id quod Lainius & alij monuerant, nimirum, inter hæreticos, qui huic Decreto non parerent, nullum matrimonium in posterum verum fore, nullamque prolem legitimam. Huic sanè incommodo occurrebatur, quoniam illi suis in regionibus Decreti promulgationem haud permisissent, adeoque non 11 fuisse

fuiſſet expleta conditio, ſub qua Synodus imperabat vt illud cunctos obſtringeret. Quod tamen factis non fuit illis regionibus, quæ à Catholicis tunc poſſeſſæ, adeoque hac lege illic ſolemniter promulgatâ obſtrictæ, in manus poſteâ hæreticorum ibi degentium & imperantium deuenere. Sed quòd per ſanctiones cunctis euenturis caſibus non conſulatur, non eſt hominum culpa, ſed hominis natura.

11 Narrationis curſus sæpè calamum, vnaque memoriam abſtrahit, ne ſuauiſ, vt par eſt, caſtigetur. Præterij multa eius errata in recenſendis temporibus, quibus inceptæ perfectæque ſunt ſuffragationes in referendis Patrum dictis, aut Oratorum poſtulis, præcipuè verò tenuiſſimam noticiam, quam ille palam facit de ijs quæ cum Cæſare Cæſarianiſque contigere: ſed diſſimulare non poſſum quod per intolerabilem falſitatem dicit, Pontificem ad Synodum abſoluendam fuiſſe inflammatum, vbi ſenſit Oratorum poſtulata: perinde quaſi eius abſolutio commendata ab ipſo acriter non fuiſſet in cunctis ad Legatos litteris, antequam id ageretur; & quaſi Oratores Cæſarei & Galli non propoſuiſſent alias, perinde ac ipſe quoque narrauit, congeriem poſtulatorum, abſque comparatione præſentibus grauiorum. Sed quò intelligamus quem ſenſum exciuerint in Pontifice ea cuncta poſtulata Oratorum, luſtre muſe epiſtolam ſuper his à Borromæo ad Legatos ſcriptam: *Nihil noui Pontifici detulere veſtra litteræ; certi enim eramus, Oratores Gallos minime deſtituros in ſuo ſcripto ab ijs poſtulanſis que poſtularunt, tametiſi optarent ne ea à Concilio impetrarent; & de Luſitani modèſtia eramus pluſquam certi. Superèſt vt cognoscamus Lunenſis poſtulata, quando parato erat animo ea conſeſſim tradere, quamquam Pontifex illis non inſpectis ſtatuit nunc id quod ſtatuerat de iteratis petitionibus Oratorum Cæſaris, nolle ſcilicet ea amplius in deliberationem adducere, ſed omnino in veſtra prudentia iudicio, conſueſcere; cum ſatis nouerimus, in cunctis vos peracturos, quoad fieri poſſit, maius bonum aut minus malum.*

14. Auguſti
1563.

12 Sed demus ſuaui, vt hoc inter cetera eius errata, ex penuria notitiæ, & abundantia fiducia, connumeretur. Profeçtò in ratiocinatione, quam habet de noua Conſtitutione ſuper coniugijs clandestinis, cum errore grauiſſimo intolerabilem malignitatem coniungit. Hæc, inquit, *elatio quedam fuit Ordinis Eccleſiaſtici: ſi quidem actio tam præcipua in politica & œconomica adminiſtratione, que ad id uſque temporis in ſola facultate fuerat illius ad quem ea ſpectabat, Clero integra ſubyciebat, nullâ viâ, nulloq; modo relicto ad contrahendum matrimonium, ſi duo Sacerdotes, hoc eſt Parochus & Epifcopus, ex aliqua utilitatis propria*

æ
Trid.
I

1563. *proprie ratione suam actioni presentiam denegarent.* Et addit, à se libenter auctorem tanti emolumenti nominatum iri, sed illum cum rebus alijs compluribus à se ignorari.

Ac primò quidem necesse est, cæcitate non modicâ tunc laborasse cunctos Oratores & Consiliarios Principum, qui tamen animos intentissimos, maximeque sollicitos præ se gerebant in tuendo laicæ potestatis iure, quando tam enorme detrimentum haud animaduernerunt; quin omnes certatim Decretum illud promouerunt, quod magnum quidem obicem in Episcopis offendit, nullum in laicis. Præterquam quòd nondum auditur per nonaginta annorum spatium atque usum, laicos Principes illud conspiciatos ipsius pœnituisse; nec intelligo, populos obtemperantes Concilio vociferari, à se liberè non posse contrahi matrimonia, quia Sacerdotes nolint.

Præterea Suavis, quem aiunt in Mathematicis apprimè versatum, hac vice pueriliter in arithmetica falsus est. Etenim satis esse non solet, quòd duo Sacerdotes adesse recusent, vt coniugium retardetur; sed oportet vt quatuor simul conspirent, Parochus viri, Parochus mulieris, Vicarius generalis, qui facultatem neget alij Sacerdoti vt intersit, & Episcopus. Vbi vnus ex his quatuor consenserit, matrimonium conficitur. Malè dixi, consenserit; par erat vt dicerem, vbi vnus ex his non se absconderit, seque à commercio subtraxerit: necesse siquidem non est ad efficaciam matrimonij, vt Episcopus aut aliquis Parochus (quod ex communi opinione ad Vicarium extenditur) auctoritatem aut consensum præstet; satis est vt ipso præsentem, eoque admonito, tametli inuito ac reluctante, vir ac mulier coram duobus testibus contrahendi voluntatem expriment.

Insuper quam veritate nixus poterat ille affirmare, Matrimonium tamquam politicum & æconomicum contractum; ad id vsque temporis in aliorum potestate perstitisse? Prætermitto, non dici, in alia quàm in Ecclesiæ potestate esse actionem, quæ per fas & sine peccato haberi non potest, nisi collatâ operâ ab Ecclesia; & tamen ante illud Decretum multi Canones interdixerant matrimonia clandestina, coram ipsa Ecclesia non celebrata, & non præmissis à Parocho denuntiationibus, neque merè in conscientie foro ea prohibuerant; sed hinc simul idonei ad successiones honoresque legitimorum declarati fuerant liberi, orti etiam ex matrimonio non rato, propter obicem genitoribus ignotum, dummodò huiusmodi diligentia prius fuisset adhibita; hinc verò vbi ea fuisset omissa,

1563.

omissa, in similibus casibus proles ad ea consequenda inepta declarabatur. Sed hæc omnia nulla sint. percontor: Nõnne Ecclesia varijs tempestatibus varias condidit sanctiones, quibus irrita reddebantur coniugia contracta inter personas talis ac talis conditionis? nõnne pro suo arbitratu relaxavit easdem sanctiones, non permisã ad vtrumlibet præstandum facultate laicorum potestati? Numquid igitur eã ratione matrimonia ad id vsque temporis peracta fuerant per contractus merè politicos & œconomicos, & in alijs quàm in Ecclesiæ manibus eadem fuerant absolute relicta?

16 Quod spectat ad auctorem tanti emolumenti, ignotum Suavi: historici vitio non vertitur, quòd is ignorauerit profundum aliquod arcanum, aut neglecta quædam minutula, sed quòd publica maximeque solemnia ignorauerit. Auctor illius nec vnus ex Legatis, nec vnus ex Episcopis fuit, ob cupiditatem illius elationis in ordine Ecclesiastico, quam Suavis comminiscitur; plures ex Legatis, & ex Episcopis plurimi restiterunt. Quis igitur is auctor fuit? Fuit illud idem, de quo alibi diximus, exprobrantes Suavi mutilam ipsius narrationem, Regium Galliarum Consilium, quod voluit ab Oratoribus sui Regis nomine peti, vt irrita redderentur coniugia, coram Sacerdote ac tribus alijs testibus non contracta; atque ita re ipsa ij postularunt ^m per actum publicum ac legitimum, Christianissimi Regis nomine, in cœtu generali die 24. Iulij. Et iam antea visus est (cũ prima forma Decreti digesta fuisset, absque hac necessitate ita proposita Conuentui memorato die 24. Iulij) Lotharingus, qui cunctos in dicenda sententia præibat, & Gallorum dux regia postulata præ ceteris promouebat, petijisse statim vt forma in eo mutaretur, Sacerdotis præsentiam tamquam necessariã matrimonio præscriptã. Et tamen quia per hanc tot hominum præsentiam, ac præcipue Sacerdotis, videbatur efficacia matrimonij nimium coarctari, idcirco non in prima solũ, sed etiam in secunda ac tertia forma, proposita à Patribus; ad id à Synodo destinatis, præsentia trium dumtaxat testium tamquam necessaria fuerat posita, nullã factã mentione Parochi aut Sacerdotis; tamen ob Gallorum postulata Patres in sententijs dicendis differerent de imponenda nec ne huiusmodi conditionis necessitate. Plures tamen concordabant in exigendis tribus testibus, non item solis duobus; cũ facile contingat, vt vnus ex duobus moriatur, aut abscedat, adeoque matrimonij probatio haberi non possit. Postea perpensum est, nimis pariter facile fore, matrimo-

m Acta Arcis
Æliæ tom.
ultimo pag.7

at
Cricl.
I

Pars III.

O o o o

nium

1563. nium contrahi coram tribus hominibus vagis, ac puellæ ignotis, quibus abeuntibus facti testimonium haud extaret, & in absurda pristina incideretur. Quapropter haud satis consulebatur, nisi stabili teste quæsito, qui contracta connubia in codicem referret. Huiusmodi censei posse aut Scribam, aut Parochum. Scriba ad hoc idôneus visus non est, propterea quòd cum innumeri essent Scribæ, duo in eo vitia cognoscebantur: alterum, facile potuisse à partibus, saltem ex vtriusque consensu, vbi eas contracti matrimonij pœniteret, antecedens vinculum occultari; alterum, difficulter à Magistratu compertum iri, an quispiam ligatus an solutus esset, & an liberi legitimi an nothi. Accedebat, Scribam citra laborem plurimum adduci posse seu per veram seu per simulatam ignorantiam, vt in tabulas referret matrimonium inter huiusmodi capita, quibus id vetitum esset, tametsi ex impedimento non irritum contractum reddente: exempli gratiâ, si quis legitimis sponsalibus cum altera obstrictus fuisset, aut ex aliquo delicto interdictum illi esset cum hac contrahere, aut si debitæ denuntiationes haud præcessissent: quod non ita faciliè impetrabitur à Parocho, melius huiusmodi res edocto, magisque Ecclesiasticas pœnas sibi pertimescente. Et quamuis constari possit matrimonium coram ipso etiam inuito; tamen illicita coniugia, quippe quibus obex & dedecus prævidentur, rarò contrahi solent, aut possunt alibi quàm in locis semotis, quò tam facile non est vt fraude aut vi Parochus adducatur.

His permoti rationibus tum Episcopi tum Oratores, tum etiam 17 ipsi Principes Christiani, satius habuerunt, opus esse ad efficaciam Sacramenti præsentiam Parochi, ex quo ingentia bona, & nullum incommodum prouenire. Ecclesiastici verò se adeò abstinuerunt ab auiditate acquirendi sibi noui iuris in his contractibus, vt cum Gallorum Oratorum postulatio vrgeret, vt Sacerdos matrimonio præfuerit (quod verbum sonabat plusquam simplicem testis præsentiam, nimirum, voluntatem & auctoritatem) Patres, quò quantum possent libertatem contrahendi seruarent, quæsitâ solùm securâ stabiliq̃ probatione, noluerint Parochum alio modo concurrere, quod spectabat ad efficaciam necessitatem, præterquam ministerio, petito quidem, tametsi coacto, aurium & oculorum.

Acta Pa-
leotti, & Ar-
cis Elia.

Iam verò ad sententias illius tertiæ suffragationis accedamus ^{p. 18} Tres Patriarchæ, & Archiepiscopus Hydruntinus rei propositæ repugnarunt, & inter eos Truifianus ac Barbarus auctores erant, vt propter negotij ambiguitatem ad Pontificem res referretur: at ve-
rò

rò Alius validiore impugnatione affirmavit, existimari à se Decretum illud contrarium iuri Diuino, seque illi vsque ad profusionem sanguinis obstiturum: & Archiepiscopus in exprobrationem prorupit, quòd ageretur de constitutione sancienda, doctrinam quamdam sonante, quæ Geneuæ tradebatur.

19 Ex opposito neruose disseriit Granatensis; Molestè à se audiri quod à quibusdam dicebatur, quæstionem ob difficultatem aut omittendam esse, aut Pontifici remittendam: ac difficultatem vbinam aptius discuti enodarique posse, quàm in œcumenica Synodo, quæ non patentium rerum gratiâ, sed dubiarum cogitur, & sancti Spiritus custodiam obtinet? Num fortè reperiri alibi parem frequentiam Theologorum, legumque Peritorum præstantium ex quauis natione, quibuscum Pontifex deliberationem habere posset? argumentum esse eiusmodi, cuius gratiâ Concilium merito congregandum fuisset, nedum à Concilio iam coactò in alio iudicio reponendum. Probari sibi, vt tales contractus in posterum irriti decernantur: fas esse Ecclesiæ id perficere, nec de eo quempiam ex antiquis Scholasticis Canonumque Peritis dubitare. De hac doctrina plures ex sententijs conuenire; & penes Ecclesiam esse, obices inducere, qui contractus irritos reddant. Quare qui hanc potestatem negabat, obligari ad eius defectum in Ecclesia comprobandum. Infirmam videri rationem, quòd hinc libertati matrimonij inferretur iniuria, si non erat iniuriosum, neque contrarium libertati interdictum, cum adiecta pœna matrimonij clandestini, sicuti hæctenus effectum fuerat; neque pariter eiusmodi esse denegatam illi efficacitatem. Nihil confici ex eo, quod multi dicebant, idem esse Matrimonium & Sacramentum; vnde arguebant, cum ab Ecclesia natura Sacramenti mutari non posset, nec pariter matrimonij naturam posse mutari. Etenim, respondebat ille, si duo baptisate suscepto animum habeant se per matrimonium coniungendi, non item suscipiendi Sacramenti, confici inter eos matrimonium, sed non confici Sacramentum, quippe quod non suscipitur à nolente; adeò non accedere hoc Decretum Caluino, sicut alij arguebant, vt potius duo illius errores damnarentur, alter, matrimonia clandestina esse irrita iure naturæ; alter, ab Ecclesia novos obices sanciri non posse.

20 Ayala Segoviensis Episcopus petijt, vt propugnatores sententiæ, denegantis Ecclesiæ potestatem reddendi irrita matrimonia clandestina, obstringerentur ad exhibendas scripto ipsorum rationes, quòd melius confutari possent; huiusmodi enim opinionem

O o o o 2

malè

at
Cricl.
I

1563. malè tutam videri, & Decretum tam vtile Christianæ Reipublicæ impediri. Admonuit, si causa Pontifici committeretur, non per id honore affici Pontificem, sed offendi, quasi iudex seiunctus à Concilio is esset, cum Concilium auctoritatem omnem obtineret tum à conuocatione tum à directione Pontificis, tum ex eo quòd ipse per suos Legatos Concilio assisteret; adeoque eiusmodi remissionem idem futurum, quod deliberationem tanti ponderis transferre à Pontifice totius Ecclesiæ consilij suffulto, ad Pontificem solum, & tanto auxilio destitutum. Matrimonia clandestina esse contra iustitiam, contra charitatem, contra honestatem, in Ecclesia tum Orientis tum Occidentis damnata.

Die decimo Septembris absoluta est sententiarum collectio, 21 quæ in quatuor classes diuidebantur. Prima, huiusmodi potestatem in Ecclesia negabat. Secunda, ex aduerso sentiebat, esse hanc in Ecclesia potestatem, & esse ab illa exercendam. Tertia, inesse quidem Ecclesiæ potestatem, vbi sufficiens adesset causa; sed eam causam reuerà deesse. Quarta, opinabatur, cum Ecclesiæ potestas à multis affirmaretur, negaretur à multis, quæstionem ad dogma redigi, in quo nequaquam decere, vt Decretum conficeretur tam multis contradicentibus.

Verùm, post prolixam disputationem habitam, postea, priusquam Sessio celebraretur, pene omnes de duobus concordarunt, nimirum, in deliberatione inuolui dogma: dogma verum esse, pro ea parte, quæ non opponebatur Decreto, cum inesset reuerà in Ecclesia facultas illa, vbi alioqui digna causa suppeteret, in quo ferè vnanimis conueniebant minores Theologi. Quamobrem eò denique deducta res est, vt perpenderetur, an verè huiusmodi adesset causa. Centum triginta tres semper Decretum promouerunt; quinquaginta sex illi aduersati sunt; reliqui in medias sententias abierunt, quæ recensendæ non sunt & quia plures fuerunt, & quia singula paucorum. Id verò consuetum admodum est ob hominum voluptatem, siue cum duabus magnis partibus concordandi, siue duas magnas partes conciliandi.

o Constat præcipue ex nota sententiarum post secundam suffragationem, absolutam 23. Augusti, & notatâ in vitam. Tomo Acto v. Arcis. Elc. pag. 99